ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Vir,

Quandoquidem necessario Celsissimi Arausionum principis impe-
dimento Nobilissimæ Amplitudini tuæ Bredam reverti, ibique hu-
manissimè decoratæ commendationis effectum apud Amplissimum Ma-
gistratum defungi non contigit: vehementer etiam atque etiam à No-
bilissimis viris D. D. Satrapa et præside, nominis mei restaura-
tionem anhelantibus, sum admonitus, ut Nobilissimam Amplitudinem
tuam suppliciter ac demissè rogarem, ne ad primam commendationem
novæ et ardentioris cumulum adjicere gravareris. Quanquam autem
diu multumque me deliberatio tenuit, iterum hoc facere auderem, quod
superiorum molestiarum recrudescenda memoria facile deterrebat No-
bilissimæ Amplitudini tuæ novam et recentem exhibere; simulque per-
timescebam, ne ex humanissimo literariæ commendationis tuæ ne-
glectu triste aliquod novæ instituendæ pectori tuo insedisset: tamen
cum suavissimam indefessi amoris et benevolentiæ erga me tuæ
mentionem animo meo aspexerint, misero quâ credulitate mihi blan-
diri cœpi, futurum ut etiam altero gravioris intercessionis tuæ hono-
rario me in tempore adauctum velles; præsertim cum jam ex mul-
torum sermonibus audivi, quosdam è Magistratu priorem neglectus
culpam et inhumanitatem promptissimo humanissimoque obsequio et suffra-
gationis litare paratos esse. Quare, quod commodo et honori
Nobilissimæ Amplitudinis tuæ fiet, gratiam, suadam et aucto-
ritatem tuam supplex imploro, adjuro, atque obtestor, ne patiare
innocentissimum tuum clientem, solâ invidia gradu Rectoratus deture-
batum, diutius ac afflictum abjectumque iacere; sed dum præsenti et
salutari commendationis tuæ manu erigere, erectum restituere,
restitutum fidelissimo favoris et benevolentiæ patrocinio ab ulterio-
re ignominia servare ac defendere digneris. Vale Vir Nobiliss.
teque amicum, patronum ac defensorem meum plurimum habere jubeo.

Dab. Bredæ 6. Aug. an. 1647.

Nobilissimæ Amplitudinis tuæ
cultor observantissimus
Adrianus Bubbenius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639

Nobilissimo Clarissimoque Viro

Dno. Constantino Hugenio,

Equiti, Domino in Zulichem,
et Celsissimo Arausionum Principi
à consilijs et Secretis.

Hagam Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4639